



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,  
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

**Nieremberg, Juan Eusebio**

**Paderbornæ, 1711**

Decas X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)



89. Republica illa occaſui proxima eſt, in qua Leges vileſcunt, & Magiſtratus non honoratur. Sublato hujus reſpectu, & illarum vigore quid ſuper eſt, niſi diſſolutio & interitus.

90. Inhoneſtas ſævitiâ longè damnoſior eſt Principi. Hæc horribilem reddit, illa inſuper contemptibilem. Crudelitas horrorem incutit, libido audaciam præbet. Cùm enim libidinoſos paſſim credamus timidos & ignavos, ſi quis Principem voluptuoſum viderit, depoſito metu audebit in exemplum.

*DECAS X.*

91. Egeſtas ſolet obnubere vitia, felicitas detegere. Adverte metamorphoſim, quam Principis odium aut favor efficit. Vix illum prælibavit aliquis, quàm ſubitò mutatus ab illo eſt! Nempe magnam fortunam debilis ſtomachus non digerit, & forſitan facilius eſt odientem ferre, quam blandientem. Videat proinde Princeps, nè, quem extulerit, efferendo dejiciat.

92. Inter eſt quoque Principis ſcire, in quo ſita ſit ejus felicitas. Malè Thales eam adſcripſit illi, qui annis maturus in lectulo ſuo



suo occumbit. Minus erravit Solon, dicendo Regem felicem fore, si Monarchiam democraticè gubernaret. Brevius Anacharsis: si sapiens esset. Acute Pitacus: si subditi timerent non ipsum, sed ipsi, & pro ipso, aut pro eo, quod illum contingit. Socrates verò: si nosset imperare sibi. Neque multum aberravit Henricus IV, Hispanus, asserens, tunc fore Regem felicissimum, si sua Regna felicitaret.

93. Qui omnibus prodigit, brevi mendicabit. Æstimet Princeps servitia suorum, sed non vilipendat remunerationes suas. Gratias conferat cum delectu, misericordiam sine discrimine.

94. Prodromus est non levis calamitatis, cum è Republica tolli videas viros consilio, justitiâ, zelo, & arte militari insignes: ita magni Politici prognosticantur, Et verò ruentibus colossis quis credat reliquam ædificii molem perstituram.

95. Magna Imperia plus habent, quod metuatur à magnitudine propria, quam ab hostibus alienis. Rarò intereunt nisi bello civili, aut intestinis diffidiis. Plus periculi imminet à seditione unius Provinciae

ciae



ciæ, quàm ab universa potentia alterius Monarchiæ.

96. Audacter Hesiodus dicebat, non esse fidendum ulli, nè quidem proprio fratri. Mollius forsan ista sumenda sunt. Principi tamen consulendum videtur, nè fidat absque delectu, nec diffidat cum temeritate.

97. Ad ritè capiendum consilium duo vitanda sunt: Ira, & præcipitancia. Illa involvit, ista provolvit. Qui nimium accelerat, festinat pœnitere. Bene Augustus: *Sat citò, si sat bene.*

98. Verissimè pronunciat Ennius, infirmam mentem semper errare. Quid iræ debilius? Nam veluti, qui captus est oculis, nequit distinguere atrum ab albo, ità qui irascitur, ignorat quid potius conveniat. Dissipanda est per moras brevis insania.

99. Quos atræ bili natura subjecit, aut lento phlegmati, consiliis ineptiores sunt. Illos videas plerùmque apprehensivos esse, invidos, suspiciosos: istos languidos, sordides, & desidiosos.



100. Censebant Sapiëntum nonnulli Principi plus mali obvenire posse à domo propria, quàm ab hostibus externis. Ità sibi persuasit Antigonus, dum orabat: servaret illum Deus ab hostibus & familiaribus. Rogatus cur non potius peteret servari ab hostibus solis; reposuit: *illum, qui palàm adversatur, cavendo facile evitare possum? ast ab eo, qui latet sub specie amici, quis me nisi Numen præservet?* Non sunt occultiores insidiæ, quàm quas construit Adulator ambitiosus, & invidus.



## Dictamina Prudentia.

### DECAS I.

**O**ptimus Prudentiæ Magister experientia est: nullam artem minori sumptu addidiceris. Quid facilius, quàm sapere insaniâ? ut aptè rebus utaris, occasio facit. Sapiens eam prospicit, antequam adsit, stultus post tergum respicit ubi transierit.

2. Princeps Prudentiæ ratio est non præsentibus solum intendere, sed futuris. Oculos Lyncium referunt penetrare mu-

ros,